

HIERONYMVS VVOLPHIVS PHILOSOPHVS AV,
gustanus.



Hieronymus apud Sueuos Oetingæ natus & educatus est. Hic cum fœlici ingenio esset præditus, à pueris magna diligentia operam literis dedit, & prima artium rudimenta in patria percepit. Postea sese hinc inde ad uarias Academias contulit, atq; philosophiæ & artium studio incum bere cœpit. Id autem ut commodius efficeret, Græcam linguam exactè didicit, & rerum scientiam potius ex fontibus quā lacunis percipere uoluit. Latq; factum ut artium magister creatus, magnum sibi nomen ob præclaram eruditioñem comparat. Inde Basileam uenit, atq; aliquandiu bonis authoribus uacandis optima quæq; transtulit. Nam ex Græco in Latinum uertit Isocratis orationes omnes, numero uiginti unum, cum nouem eiusdem epistolis, additis annotationib; ac difficultoñiocabulorum interpretationib; , quæ quidem Basileæ anno 1549 sunt ædita. Transtulit etiam Demosthenis oratorum Græciæ principis opera, quæ ad nostram usq; ætatem uenerunt omnia, atq; in eadem iusta commentaria scribere instituit. Id cum D. Fuggeri literarum Mœcenates intellexerunt, eum Augustam Vindelicorum ad se uocarunt, & liberali stipendio ornarunt, ut ipsis iustum bibliothecam compararet, & eidem præcesset. In eo loco Hieronymus sua pietate & solida doctrina omnibus innotuit, & res sibi commissas fideliter disposuit. Deinde etiam Augustanæ scholæ præficitur, ut iuuentutem erudit, & optimos quoque authores exponat. In ea functione is etiamnum pergit, & magna laude Augustæ adolescentiam, omni genere uirtutum & literarum, instruit, Con. Ly-
costh. Anon.